



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XIV. Decimum tertium argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

violium significavit Moses, cum diceret Abrahamum hostes usque ad Dan esse perfectum. Sed tamen in re incerta nihil pronuntio.

*Undecimum* XII. De nihilo est etiam, quod obicitur ex decimo septimo capite Exodi, ubi *argumentum* hæc extant: *Filii autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo alii sunt, usquequo tangerent fines terre Chanaan.* Nam cum aiunt hæc à Mose scripta dici non posse, quæ post ejus obitum contigerunt, ut liquet ex quinto Josuæ capite, nequam ad prophetiam facultatem Mosi à Deo concessam attenderunt. Erroribus enim quadraginta annorum addictos à se Israëlitas, Mosi & Aaroni multo ante præsignificavit Deus, ut indicat decimum quartum caput libri Numerorum. Ergo & jam tum id Mosi innotuisse, cum Manna è cælo depluit, credibile est. Hoc si minus verisimile esset, quod verisimillimum est, verba hæc ab Eldra, ut alia quædam, inserta diceremus. Prius illud responsum posteriori huic anteponebat Abrabaniel.

*Duodecimum* XIII. Similiter cum ait Moses Geneleos sexto capite supra tricesimum: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israël, fuerunt hi: Deo auctore prænoverat futurum ut aliquando Reges sibi præficerent Israëlitas.* Clarius id ostendunt hæc Deuteronomii: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & possideris eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituiam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Duodecimo itidem Deuteronomii capite leges statuit de cultu Templi, quod in Chanaanæ terra nondum subacta extruendum erat, quippe futurum id monstrante Deo sciebat. Monet quoque Ebraeos alio Deuteronomii loco de excindenda Amalecitarum gente, postquam Terræ promissæ compotes facti essent, quod futurum Dei beneficio prævidebat. Ruit itaque duodecimum illud Philosophi Theologo-Politici argumentum.

*Decimum* XIV. Imbecillius etiam est postremum illud, quo concludit Pentateuchum à Mose nequam esse scriptum, quod citentur in eo alii Libri, sine dubio à Mose scripti: cuiusmodi est Liber Fœderis, & Liber bellorum Dei, & Liber leges Dei, qui Libri vicesimo quarto capite Exodi, & Numerorum vicesimo primo, & Deuteronomii tricesimo primo commemorantur: atque item Canticum, quod representatur tricesimo secundo capite Deuteronomii. Fac enim Libros omnes illos à Mose fuisse scriptos; quoniam ipse res suas, velut ex aliena persona, non ex propria narrauit, consentaneum sane fuit libros quoque suos, ut alienos, non ut suos citare. Mirum præterea est Argutorem nostrum, virum tam cautum ac suspiciosum, nihil ut admittendum censeat, nisi id quod ex ipsa scriptura constat, aut quod ex solis ipsius fundamentis legitima consequentia elicitur; at non ex eo quod rationi consentaneum videtur; pro certo tamen fumere Amalecitanum bellum & Israëlitarum stationes scriptas fuisse in libro Bellorum Dei, atque hunc proinde Librum Mosem auctorem habuisse; quoniam tum stationes Israëlitarum, tum Amalecitanum bellum constat à Mose fuisse scripta: quæ valde incerta sunt & dubia. De scriptore libri hujus Bellorum Dei alia omnia censent Ebraei Doctores, alia & Christiani plerique, cum facer contextus habeat *אמר*, dicitur, non dictum est: unde efficitur Librum hunc à Mose laudari, non quasi jam scriptum, sed quasi olim scribendum; quem propterea librum Judicum esse opinatur Aben Ezra. Non librum, sed carmen *זמיר* alii interpretantur; carmen, inquam, tritum ore vulgi ad victorias Ebraeorum concelebrandas, statim post pugnam conditum, quod in rei testimonium affert Moses, cum Pentateuchum diu post rem gestam scriberet. Eadem confidentia de Libro illo Fœderis disputat Philosophus Theologo-Politicus, quem pauculos illos habuisse versiculos statuit, qui leguntur in Exodo, à versu vicesimo secundo capituli vicesimi, ad caput usque vicesimum quartum; atque iis contineri fœderis leges à Deo cum Ebraeis initi. Id si sit, ipse ergo Decalogus fuerit extra leges fœderis hujus; fuerit & præceptum Circumcisionis, quæ tamen signum fuit perpetuum fœderis Deum inter & Ebraeos. Quæ quam inepta sint & absurda manifestum est. Addit Auctor Systematis Præadamitici Mosem laudare non potuisse Librum illum bellorum Dei, qui res in Arnón ab ipso Mose gestas continebat, ac proinde Pentateuchum Mosem auctorem non habere: suspicatur autem ex diurnis Mosi Commentariis conflatum fuisse Librum bellorum Dei; ex hoc Pentateuchum fuisse exceptum. Verum quoniam de genuina loci hujus scriptura non satis constat, nulla inde potest certa exculpi sententia. Confer Ebraica commatis hujus verba, cum Septuaginta Seniorum interpretatione, & cum Vulgata, & Arabica, & Syriaca, & Paraphrasi Onkelosi, fateberis non ex iisdem verbis tam diversos sensus extitisse.

*Decimum* XV. Atque hæc demum rationes sunt, quibus Pentateuchum à Mose abjudicare instituit